



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 24. Circa irregularitatem contractam ex Baptismi iteratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

infortunatam, quam pro conferendis rebus vilibus, & transitoriis, in alios tam acriter exardescere. Sic D. Antonin. par. 3. tit. 4. cap. 3. §. 2. Syluest. v. Homicidium 2. Nauart. sum. c. 15. num. 4. & c. 27. nu. 211. Henriquez l. 14. c. 11. n. 3. Gutier. Canon. qq. l. 2. c. 6. n. 61. Molina tr. 3. d. 72. nu. 3. Salon. 2. 2. q. 64. a. 8. concl. 2. Auila p. 7. d. 5. sect. 3. dub. 4. Layman. l. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. c. 9. assert. 3.

324
Excusat
plane.

Proprium bonorum directa defensio ab irregularitate hac homicidij, ac mutilationis excusat. Quia cap. Quia te 50. quidam Episcopus à Sarracenis captus aliquos ex illis, ut libertatem defenderet interfecit, de quo casu Urbanus II inquit: sed quoniam non sua sponte id fecisse cognosceris, inde canonicè nullomodo indicaris. Infertur ergo manifestè, non solum pro vita tutanda, sed & pro defendenda libertate licitam esse interfecionem absque Canonici impedimenti periculo. Ita Castro l. 2. de leg. pœn. c. 14. Navarra l. 3. de rest. c. 4. num. 418. Sayrus l. 6. i. h. c. 17. num. 22. Suarius d. 46. sect. 2. n. 4. Lessius l. 2. c. 9. dub. 11. n. 73. Coninch. d. 18. dub. 5. n. 80 & 88. Filiuc. tract. 10. num. 146 & 149. Bonac. de irreg. d. 7. q. 4. punct. 6. num. 10. Hurtado de irregular. d. 2. diff. c. 10.

325
Cum his
opinor fu-
sus expen-
dens enten-
tiam.

Veriorem & in praxi tutam admodum hanc sententiam esse crediderim. Quia irregularitas ob defectum significationis tantum posita est occidentibus, & mutilantibus auctoritate publica: non autem illis, qui priuata auctoritate occidunt, vel mutilant. His enim irregularitas indicitur non præcisè in significationis defectum, sed & in pœnam delicti commissi. At qui proprium honorem, bonaque fortunæ alia via nequit defendere, nisi occidendo inuaforem, nullam in ea occasione perperat culpam. Ergo non contrahit irregularitatem, ob culpam, indictam. Fateor autem in Clement. si furiosus, solum excipi defendentem propriam vitam, quia id certum & indubitatum est: sed non inde infertur, defendentem propria bona excusari non posse. Aliàs non excusaretur defendens se à mutilatione, vel à vulnere non lethali: siquidem hæc defensio in Clement. illa non excipitur: cum tamen communis sententia hanc defensionem ut legitimam excusationem admittat. Porro in illo casu ex cap. Suscepimus desumpto, Clericus manet irregularis, quia ob vatum timorem mortis latrones occidit (quos iam ligatos habebat), & in furti iam recuperati vindictam. Vnde merito Pontifex præcepit, ab altaris ministerio abstinere, quia tam grauiter ob furtum factum rerum temporalium, quæ iam erant recuperatæ in latrones exarsit: cum potius expedit, post tunicam relinquere pallium, & rerum suarum sustinere iacturam, quam ita diriter exardescere.



CAPVT XXIV.

Circa Irregularitatem contra-
ctam ex Baptismi itera-
tione.

DVBIUM LXXI.

Rebaptizatio occulta inducitne Irregula-
ritatem Ministro rebaptizantis, &
rebaptizanti ipsi?



ERTVM est, ministrantem ex officio ei, qui rebaptizatur, fieri irregularem. c. Ex litterarum 2. de Apofat. Quæ irregularitas non est absoluta, & totalis, cum non priuet usu, & exercitio Ordinis habiti, sed solum ad Superiores Ordines ascensu, ut ex c. Ex litterarum constat. Hanc irregularitatem communiter Doctores extendunt ad rebaptizantem, eo quod rebaptizantis ministerio irregularitas indicitur. Quia rebaptizationi cooperatur. Tacite ergo supponitur præstanti rebaptizationem irregularem indicam esse Henric. l. 2. c. 11. n. 1. & l. 14. c. 4. n. 4. Auila p. 7. d. 7. dub. 1. Suar. tom. 3. in 1. par. d. 31. sect. 6. Coninch. d. 18. dub. 5. n. 34. & alij. Quæstio verò est, an hæc rebaptizatio solemnitis, & publica esse debeat, ut minister rebaptizantis, & ipse rebaptizans irregularitatem incurrant? an si occulta sit, non incurrant?

Rebaptizatio occulta sufficit, ad inducendam irregularitatem maximè in rebaptizante. Quia c. Qui in qualibet 1. q. 7. & c. Qui bis, & c. Eos quos, de consecr. dist. 4. nullatenus publicitatem criminis requirunt. Et licet in c. Ex litterarum, de Apofat. dixerit Alexander III. de ministro illo rebaptizationis, quod ad Ordines superiores, si publicum est, quod proponitur, promoueri non valeat, nisi ad Religionem transferat: si verò occultum fuerit, permittitur promoueri id intelligendum est de Episcopi dispensatione. Sic Hostiens. ad c. Ex litterarum. Scotus in 4. dist. 6. q. 8. Auila p. 7. d. 7. dub. 1. Henric. l. 14. c. 4. n. 5. Sayr. l. 7. h. c. c. 8. n. 6. Coninch. d. 18. dub. 5. n. 36. Supponit Bonac. tom. 1. d. 7. q. 3. punct. 1. n. 9.

Non sufficit rebaptizatio occulta, sed debet esse publica, ut huic irregularitati sit locus. Quia c. Ex litterarum absolute deciditur, si crimen occultum sit, ordinari Acolytum illum posse, neque dispensationis mentionem fecit. Ergo absque fundamento dispensatio exigitur. Alij verò textus non de rebaptizante, sed de rebaptizatis loquuntur. Ita Abb. ad c. Ex litterarum, n. 1. Syluest. v. Irregularitas, q. 4. Palud. in 4. dist. 6. q. 4. a. 1. conl. 2. Tolet. l. 1. c. 70. §. 4. Laym. l. 1. tr. 1. p. c. 2. n. 1. Hurtado de irregul. d. 2. diff. 11. Coninch. d. 18. dub. 5. n. 1. Inclinat Suarius tom. 3. in 3. p. d. 31. sect. 6. num. 16.

Esti

Seçt. II. De Irregularitate Dubia. 361

319 *Hic sequor.* Et si sententia prima in praxi consulenda sit, secundam tamen probabilem satis esse non dubito, & mihi eligendam duxi ob tot Doctorum auctoritatem. Monco autem, non esse huic irregularitati locum, si rebaptizet quis eum, quem credebatur baptizatum non esse. Quia eius comparatione rebaptizatio non est, si quidem probabiliter existimauit, non esse Sacra Unia dilutum. Neque enim dici potest iteratum, quod factum esse nescitur. *Cap. So. lemmates, de consecr. distinction. cap. vnic. de Clerico per saltum promotio.* Quapropter ab hac irregularitate quilibet ignorantia, modo non sit crassa ac lupina exultat; quia dolus, seculata culpa requiritur.

DUBIVM LXXII.

Estne irregularis, qui rebaptizatur sub conditione, nulla tamen diligentia premissa, ut cognoscatur an prior Baptismus processerit?

330 *Irregularis.* Irregularis est, qui temere, & absque vlla premissa diligentia rebaptizatur, tamen sub hac conditione: si non est baptizatus. Quia conditio appositae habetur pro non adiecta. Quod Pius V. docuit in *Catechis. Rom. tr. de baptis. c. de effect. baptis. fine.* Sic Sotus in 4. dist. 3. q. vni. a. 9. Corduba sum. q. 17. Vgol. de irreg. c. 3. §. 3. Sayr. l. 7. thes. c. 8. n. 23.

331 *Non est irregularis.* Non est irregularis. Quia ex vi illius conditionis appositae actus suspenditur: ac proinde exterior illa ablutio non est rebaptizatio, & consequenter nec irregularitati subiecta. Ita Nauar. sum. cap. 27. num. 146 Hurtado de irreg. d. 2. dist. 1. Coninch d. 18. an. 5. num. 38. Laymanus de irregul. c. 2. num. 1. Bonacina tom. 1. d. 7. q. 3. punct. 3. num. 4. Auila par. 7. d. 7. an. 3. Suarius d. 3. i. sect. 6. an. 5. Henric. l. 14. c. 4. n. 4.

332 *Hic verius.* Veriorem hanc partem existimo. Et idem esse reor, si absque intentione rebaptizandi aliquem quis exteriori rebaptizet. Quia ea actio non est absoluta, & perfecte rebaptizatio. Vt Coninch. Layman. Hurtado, ac Bonacina ubi supra annotarunt.

DUBIVM LXXIII.

Qui ignorans se baptizatum esse, rebaptizatur contrahitne irregularitatem?

333 *Questionis.* Certum est, eum, qui culpabiliter se rebaptizari permittit, irregularem absolute, & simpliciter esse: idemque non solum impediri ab Ordinum susceptione, sed etiam a fuffceptorum vfu. *cap. Conformandum, dist. 50. & c. Si quis de consecr. dist. 4.* Quæstio autem est, an qui ignorans se baptizatum esse, rebaptizatur, irregularitatem hanc contrahat?

334 *Contrahit quidem.* Contrahit quidem. Quia hæc irregularitas non in pœnam delicti à rebaptizatis commissi, sed in rebaptizationis detestationem videtur

imposita. Argum. c. *Qui in qualibet* 1. q. 7. vbi inquit Pontifex, eos, qui in qualibet ætate alibi, quam in Ecclesia Catholica, aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittuntur accedere. Et c. *Qui bis, de consecr. dist. 4. ibi: Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat.* Sic D. Antonin. par. 3. tit. 14. c. 1. §. 2. Palud in 4. dist. 6. q. 4. a. 1. concl. 2. Syluest. v. Baptismus, §. 9. 3. Vinald. ir. de irregul. n. 40. Maiol. de irregul. l. 3. c. 14.

Non contrahit. Quia cum ex nullo iure manifestè constet hanc irregularitatem indicatam esse ex defectu alicuius significationis, asserendum est, in pœnam delicti commissi esse appositam. Nam id nature irregularitatis magis congruit. At stante ignorantia nullum delictum committitur: ergo nullus est huic irregularitati locus. Ita Sotus in 4. dist. 3. q. vni. a. 9. fine. Covar. Clement. si furiosus p. 1. n. 8. Nauar. sum. c. 27. n. 246. Laym. l. 2. tr. 5. p. 5. c. 2. n. 3. Auila p. 7. d. 7. dub. 2. S. v. Irregularitas ex iterat. b. p. r. n. 1. Sayr. l. 7. thes. c. 8. n. 8. Valent. to. 4. d. 7. q. 19. punct. 4. §. 5. Suarius tom. 3. in 3. p. d. 3. i. sect. 6. ante fin. Henriquez lib. 44. c. 4. num. 3. & 4.

Veriorem hanc sententiam reor esse. Cuius veritatem appetit colligo ex c. *Placuit*, & ex c. *Qui apud 1. quasi*. Neque virget textus pro prima sententia relati Nam c. *Qui in qualibet* intelligitur de iis, qui in qualibet ætate adultæ, & dolo capaci rebaptizantur. Caput vero *Qui bis* non est alicuius Pontificis, aut Concilij generalis: sed cuiusdam Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, ideo vim legis habere non potest, ut aduertit Covar. Suar. Sayr. Laym. & alij ubi supra.

DUBIVM LXXIV.

Propter iterationem aliorum Sacramentorum characterem imprimentium incurritne Irregularitas?

Pro iteratione Confirmationis, & Ordinis Irregularitas incurritur. Quia in cap. *Dist. de consecr. dist. 5.* eodem modo prohibetur Confirmationis iteratio, ac iteratio Baptismi, & sub eadem pœna religiosi obsequij sub habitu Regulari, vel Clericali. Sic Richardus in 4. dist. 7. a. 6. q. 1. Maior. ibi Hostiens. sum. l. 1. tit. de Sacram. non iterand. §. ult. num. 12. Nauar. sum. c. 27. n. 247. Maiol. de irregul. l. 3. cap. 1. §. Graff. l. 4. c. 27. n. 15. Philarch. l. 4. c. 14. Vinald. de irregul. n. 44.

Non incurritur irregularitas. Quia nullo iure hæc irregularitas est expressa. Ergo gratis apponitur. Ita Sotus in 4. dist. 5. q. 5. Palud. dist. 7. q. 2. a. 1. concl. 2. Sotus dist. 7. q. vni. art. 5. Syluest. v. Irregularitas, §. 4. Valent. tom. 4. d. 7. q. 19. punct. 3. §. 5. Sayr. l. 7. thes. c. 8. n. 28. Suarius de Sacram. d. 3. sect. 1. c. 2. Auila p. 7. d. 7. du. 5. Filliuc. tr. 19. c. 7. q. 1. Reginal. l. 30. n. 178. Bon. tom. 1. d. 7. q. 3. n. 3. Laym. lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 2. fine. Hurtado de irreg. d. 2. dist. 1. n. 3. & alij.

Cum

335
Non contrahit.

336
Hoc verius esse puto.

337
Incurritur quidem.

338
Non incurritur.

339
Cum his
opinor.

Cum his opinor. Nam licet in *cap. Dictum* caveatur, non posse iterari Confirmationem, sicut nec Baptismum: poena tamen, quae ibi apposta est, potius probat, sic iterantes ab irregularitate esse immunes; siquidem Clerici famulatus, cui iterantes addicuntur, exercitio Ordinis consistit, & maxime in Eucharistiae consecratione, ut Scotus, & Sayrus annotant. Hinc a fortiori constat, pro aliorum Sacramentorum iteratione nullam irregularitatem esse praescriptam.



CAPVT XXV.

Circa Irregularitatem ob illicitam Ordinum susceptionem, & administrationem contractam.

DVBIUM LXXV.

Ob receptionem Sacri Ordinis absque Confirmationis receptione praemissa, contrahiturne Irregularitas?

340
Contrahitur.



Contrahitur quidem. Quia in *Trid. sess. 23. c. 4.* decernitur, ne Ordines recipiantur, non praemissa Confirmationis receptione. Sic Maior. de irregularitate, l. 4. c. 1. n. 9.

341
Non contrahitur.

Non contrahitur. Quia nullibi invenitur haec expressa poena. Ita Vgol. de irreg. c. 38. §. 1. Henric. l. 1. c. 6. n. 4. Sayr. l. 7. thes. cap. 9. n. 42. Suar. tom. 3. in 3. p. d. 38. §. 1. Fill. sr. 10. n. 205. Bonacina tom. 1. d. 7. q. 3. pun. 4. n. 8.

342
Longe hoc
probabilium.

Longe probabilior hanc sententiam esse reor. Imò satis probabile, non peccare lethali-ter susipientem, neque exercentem Ordinem Sacramento Confirmationis non suscepto. Quia nec in Tridentino citato, nec alibi praecceptum illius recipiendi ante Ordines continetur. Nauar. summ. c. 22. n. 9. & Henriquez l. 4. c. 6. n. 3. mecum opinantur.

DVBIUM LXXVI.

Absolutio Sacramentalis praestita ab eo, qui Ordinatus non est, inducitne Irregularitatem?

343
Certa sup-
pono.

Certum est, ministrantem in Ordine non habito, serid solemniter, & ex officio, irregularem esse. c. 1. de Clerico non ordin. ministrante, & exhibentem Baptismum solemniter. cap. Eodem Quia Baptismus solemniter ministratus Ordinis Sacerdotalis usus, & exercitium est. Et eum, qui attendit Eucharistiam coe-secrare, illamve ministrare, Ordinem, Confirmationem, aut Extremam Unionem cum Sacerdos

non sit. Quia Officium Ordinis, quod non habet, exerceret. Secus esset, si Matrimonio affligeretur tanquam Parochus, cum tamen Parochus non esset. Quia Matrimonij assistentia non est actus Ordinis, sed iurisdictionis, & ob usum iurisdictionis non habito non est irregularitas imposita. Suar. d. 42. §. 4. n. 19. Coninch. d. 18. dub. 6. n. 48. Hurtad. de irreg. d. 2. diff. 1. n. 5. Requiro autem, num absolutio Sacramentalis praestita ab eo, qui ordinatus non est, irregularitatem inducat?

Non inducit. Quia absque ulla solemnitate exercetur, ac proinde inter Officia Ordinis computanda non est. Sic Sylvest. v. Confessor, 1. initio. Ledes. p. 2. sum. l. 4. q. 7. art. 3. dub. 1. Et valde probabile reputat Auila p. 7. d. 9. d. 1. §.

Inducit quidem. Quia absolutio Sacramentalis quantumcumque secreta sit, actus est, & exercitium Sacerdotalis Ordinis, sicuti est celebratio. Ac proinde sicut celebrationis usurpatio à non Sacerdote irregularem efficit, sic absolutionis usurpatio facere debet. Ita Nauar. summ. c. 27. n. 242. Laym. de irreg. c. 3. num. 2. Coninch. d. 18. n. 48. Bonacina tom. 1. d. 7. q. 3. pun. 6. n. 4. Suar. d. 42. §. 4. n. 19. Sayr. l. 7. thes. cap. 9. n. 5. Henriquez l. 4. c. 6. n. 1.

Hanc sententiam communem quidem defendo. Falsum enim omnino est, sub Officio Ordinis Sacramentalem absolutionem non contineri. Et colligitur ex c. 1. de Cler. non ordin. ministrante.

DVBIUM LXXVII.

Exercet quis Officium Ordinis, qui non habueritne irregularem, si illud praestit absque intentione usum Ordinis usurpandi?

Exercens Officium Ordinis, v. gr. Diaconi, vel Subdiaconi canendo solemniter Eucharistiam, aut Epistolam, vel ministrando aliud Sacramentum, absque intentione usurpandi Ordinis usum; irregularis non erit. Quia in c. 1. de Cler. non ordinato ministr. statuitur haec irregularitas, eo quod non ordinatus, solemniter baptizaverit, vel aliud Officium Ordinis annexum exercuerit. Sed qui sine intentione baptizat, verè non baptizat: & qui sine intentione celebrat, vel absoluit, reuera non absoluit, nec celebrat, &c. Ergo non exercet Officium Ordinis Sacro annexum, illud enim Officium, seu Officij simulatio non annectitur Ordini, sed ab Ordine excluditur. Sic Nauar. summ. c. 27. n. 242. Tabiena v. Irregularitas, 4. §. 3. Auila p. 7. d. 9. §. 1. dub. 13. Bonacina tom. 1. d. 7. q. 3. pun. 6. n. 2. Vgolius c. 37. n. 10. Hurtado de irreg. d. 2. diff. 2. n. 5.

Erre irregularis. Quia si haec poena non afficit exercentem exterius Ordinis Officium cum illo ritu, ac solemnitate, qua communiter exercetur, neminem comprehendet, qui haereticus non sit, vel crassissima ignorantia non laboret; alius enim non potest habere voluntatem exercendi Officium Ordinis quasi ex Officio. Cum enim Ordinem non habeat, impossibile est, velle ministrare tanquam ordinatum.